

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0600

0598

0604

0594

0609

0589

0649

0549

0699

0499

1099

0099

Ende

Anfang

27

Spiritum Sanctum in specie columbae videret, et aures, quibus Patris vocem audiret, mundum reliquit, desertum intravit, antra petiit.

Venerabilis Albertus Magnus Serm. Luc. c. 1. circa illum locum: Puer erat in desertis etc., sic inquit: Beda dicit, quod Johannes decem annis fuit in deserto, et cum desertum intravit X annos habens, et exivit habens XXX annos, sicut patet Lucae 3. Dicit tamen evangelium Nazaraeorum, quod Herode quaerente pueros ad perdendum pater quidem Zacharias eo, quod noluit prodere puerum, interfectus est, mater autem accepto puero paene de abdito praedicto fugit in desertum, et cum a prosequentibus angustiaretur de puero abscondendo, aperuit se lapis montis scissus, et eam in se cum puero conclusit, et sic evacuata est sollicitudo quaerentium. Et ex tunc mater post alios paulos annos mortua, puer in solitudine remansit, et ex usu puerilis aetatis locustas comedere didicit, et mel silvestre, quod sicut formica in desertis invenit. Dicitur etiam, quod sanguis patris in vasis a sacerdotibus receptus, et in templo servatus, continuo bullivit, quotiens aliquis de familia Herodis in templo apparuit. Haec Albertus. Duo autem deserta habuit S. Johannes Baptista, primum non longe a domo paterna, in quo adhuc monstrantur antra, in quibus juvenis habitabat; secundum juxta Jordanem, in quo populo praedicabat et baptizabat. De primo habetur Luc. 1. de secundo Luc. 3.

De loco, in quo stips ligni crucis crevit, ut dicitur.

Recessimus ergo a loco nativitatis S. Johannis et dimissa valle, per quam in locum venimus, in alta conscendimus contra Jerusalem, inde in vallem deliciosam et fertilem descendimus, in qua quondam stetit civitas Nobe sacerdotalis, ubi David panes propositionis comedit, et gladium Goliathi (B) accepit, ut habetur 1. Reg. 21. et Matth. 12. Hanc civitatem Saul, rex, subvertit et omnem hominem ex ea occidit, et pueros lactentes, et 85 sacerdotes ex ea interfecit in ore gladii, quia civitas sacerdotum erat, ut habetur 1. Reg. 22. Et hoc fecit ex eo, quia dederant David panem et gladium. Inde autem